



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **CASSOVIENSIS*** INTRA SLOVAKIAE FINES
CONDITUR NOVA PROVINCIA
ECCLESIASTICA, CASSOVIENSIS SCILICET, QUAE AD DIGNITATEM
ECCLESIAE METROPOLITANAEE ATTOLLITUR Pastorali quidem permoti studio curam continenter adhibemus, ut
salutifera Domini beneficia quam amplissimam multitudinem attingant. Ideo Nos, felioribus in Slovakiae finibus
exstantibus condicionibus, aptare festinamus ecclesiastica instituta ut proposita haec commodius expleantur. Quapropter
postulatis occurrentes Venerabilis Fratris Ioannis Sokol, Archiepiscopi Tyrnaviensis, qui flagitavit ut, disiunctis quibusdam
territoriis eiusdem provinciae ecclesiasticae Tyrnaviensis, quae nunc Bratislaviensis-Tyrnaviensis nuncupatur, nova
constitueretur provincia ecclesiastica Cassoviensis, Episcoporum Slovakiae audita conferentia, favente Venerabili Fratre
Aloisio Dossena, Archiepiscopo titulo Carpitano et in Slovakia Apostolico Nuntio, de consilio Secretariae Status Sectionis
de Rationibus cum Civitatibus, ex sententia Congregationis pro Episcopis, Apostolica Nostra potestate suffulti, haec quae
sequuntur decernimus et statuimus. Novam Provinciam ecclesiasticam condimus Cassoviensem appellandam et eam
archiepiscopalnis metropolitanae sedis fruentem dignitate iuribus privilegiisque, quae complectetur Ecclesiam eiusdem
nominis et dioeceses Scepusiensem et Rosnaviensem. Episcopum pro tempore statu et gradu Metropolitae honestamus
secundum sacrorum canonum praescripta. Haec omnia ad expedienda Venerabilem Fratrem Aloisium Dossena, quem
supra memoravimus, legamus, facta videlicet facultate quempiam alium virum in ecclesiastica dignitate constitutum
subdelegandi. Re demum ad exitum perducta, documenta confiantur, quorum sincera exempla ad Congregationem pro
Episcopis mittantur, contrariis rebus minime quibuslibet obsistentibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die primo et*
tricesimo mensis Martii, anno Domini millesimo nonagesimo quinto, Pontificatus Nostri septimo decimo.

ANGELUS card. SODANO <i>Secretarius Status</i>	BERNARDINUS card. GANTIN <i>Congr. pro Episcopis. Praef.</i>
---------------------------------------------------	-----------------------------------------------------------------

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Angelus Lanzoni, *Protonot.*

Apost.

*A.A.S., vol. LXXXVII (1995), n. 9, pp. 776-777 © Copyright 1995 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana